



Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Ostenditur laetitiam nusquam inueniri nisi in animâ. In eâ autem non tam
inueniri quam efformari. Artis rem esse Gaudium, non felicitatis. Artem
autem totam, in solâ Conscientiâ rectè efformandâ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

ARTIS SEMPER GAVDENDI

PARS SECVNDA.

Latitia perfecta artificium in Conscientia bona efformatione inuentum & demonstratum.

TRACTATVS I.

GAVDIVM EX CONSCIENTIA.

Secura mens quasi jage conuiuium. *Prou. 15. v. 15.*

*Ostenditur Gaudium nusquam esse nisi in animâ. In eâ autem non tam inueniri, quam efformari: artis rem esse Gaudium, non felicitatis. Artem verò totam, in solâ Conscientiâ re-
Etè efformandâ consistere. Adducuntur varia Conscientiæ encomia.*

P R O O E M I V M.



AET A Dominici Aduentûs commemoratio iterum pro anni Ecclesiastici tempestate recurrit, Auditores. Et quamquam nihil nisi ingentia nobis tonitrua, micantesque iudicii extremi ignes & fulmina spirauerit primæ diei Euangelica historia; ne tamen propterea vultum pauidi contrahamus, neque serenam auram desperemus. Purgandus erat aër istis ignibus, ne segni situ tandem putresceret: concutiendi, inquam, erant sacro pauore quorundam animi, quos nimia malacia jam corruperat, & suo malo insolentiores fecerat tam longâ peccandi, & jam fere scelerum secura impunitas. Itaque iudicii seuerissimi recordatione, excutienda erat mortali-
A
lium

TRACTATUS PRIMVS

lium veteriosa segnitias. Verùm post densa nubila, lætior solet exoriri sol. Gaudium itaque rursus denuntiaturus vobis venio; neque enim meliorem vllum reperio aptioremque ornatum, quo aduentanti ad nos Saluatori gratulabundi occurramus, quàm si vultus afferamus bonos & placidos, quique lætitiã animi, aduentanti è cælis Hospiti attestentur. Scio enim eum esse ejus genium, ut tristi fronte contractisque mœrore superciliis, minimè delectetur; neque ædes facillè subit, quibus malignè nouerit excipiendum se. Malignè verò excipitur, quisquis tristi aspectu, atque animo contracto excipitur. Quòd si ergo in penu non sint lætitiã Hospiti tanto pares, sanè vultum amœnum & candidum aduenienti exporrigite, & partes vestras expleuistis, & obsonatum est opiparè. Nam, præterquam quòd super omnia vultus boni Deo arrideant, certè *secura mens quasi jure conuiuium*. Quid autem est secura mens, nisi læta & exprorecta? Quo pacto enim secura esse poterit, nisi sit læta? Et rursus quã quæso ratione, læta esse poterit, nisi fuerit admodum secura & sui & Dei? Ita sit inquires: verùm cui lætitiã ad manum non est, vbi gentium illam inueniet? Hoc nunc ago. Ac primò quidem ostendam, Gaudium quærendum non esse, sed arte efformandum: artem verò efformandi Gaudii, totum in propriã cuiusque conscientiã, & quidem ab ipsã Conscientiã existere. At inquires, superiore libro Ars semper Gaudendi, ex nostræ voluntatis cum Diuinã conformatione petebatur. Fateor; verùm isthuc non dixi omnia; altiùs thesaurum lætitiã aperiam; atque apparebit confestim, lætitiã, quæ ex Diuinæ voluntatis approbatione in mente exoritur, non nisi tranquillitate & lætitiã, quæ ex bonã Conscientiã nascitur, perfici & stabiliri. Ostendamus itaque plenum perfectumque Gaudium Conscientiã solã efformari; vnde istud manifestum fiet deinde, artem Conscientiæ cæteras omnes scientias, & prestantiã, & necessitate, & addiscendi facilitate plurimùm superare.

Prou. 15
v. 15o